

magister consulum, iurati<sup>b)</sup> ac universitas<sup>c)</sup> civium in Zwickavia infra scripti universis presentibus ac posteris, quibus presentes exhibite fuerint, cupimus fore notum publice per hec scripta protestantes, quod de maturo consilio et bona prehabita deliberacione de ecclesia sancte Katherine<sup>d)</sup> virginis dicti opidi unam marcam cum tribus grossis annui census duobus temporibus anni, scilicet Michahelis et Martini, per infra scriptos censuales dandam discreto viro domino Ludwico plebano in Ortwinzdorf vendidimus ad vite sue tempora cum omni iure et libertate, sicuti ecclesia fata ante tenebat, absque exactionibus et angariis quibuslibet libere et quiete possidendam pro sex marcis provideo viro nostro concivi Nycolao dicto Crosseneri, dicte ecclesie procuratori propter turris edificacionem, integraliter persolutis<sup>e)</sup>. Datur autem census prefatus ab hominibus subsequentibus, videlicet Hermannus gener Ulmanni figuli dabit in festo Martini XXI grossos annuatim de quodam orto a sinistris in exitu superioris valve sito, item Henricus filius dicti Hertwigezdorf X grossos Michahelis de quodam banco panis, item Johannes dictus Hellevege dimidium fertonem<sup>f)</sup> Martini de quodam orto apud pascuam sito, item Nicolaus dictus Ackerman XIII grossos<sup>g)</sup> Martini de quodam orto in semita versus<sup>h)</sup> Osterwen sito, item Henricus de Sneppfenberg VII grossos Michahelis de orto Kemnitzeri. Postquam vero dictus dominus Ludewicus domino volente viam universe carnis fuerit ingressus, ex tunc marca cum tribus grossis prememorata cum primevo iure ad dictam ecclesiam revertetur. Veruntamen ne quis sua temeritate hoc factum violare presumat, has sibi patentes testimonii litteras contulimus munimine sigilli nostri roboratas. Testes huius rei sunt Nycolaus Crosseneri predictus, Henricus Ribestein, Albertus Lasan, Cunradus Egereri, Theodericus gener relicte<sup>h)</sup> monetarius, Henricus dictus Grahe, Cunradus dictus Lobil, Johannes Kurtzwile, Johannes cum Matre, Conradus Grüz, Hermannus de Lichtenstein et alii quam honesti et fide digni. Datum anno domini M<sup>o</sup>CCC<sup>o</sup>XXIX<sup>o</sup>, dominica post Urbani proxima.

a) prepetuari (B) b) iuratis (B) c) -as- in der Wortmitte durch Unterpunkten getilgt (B) d) aus Katharina korrigiert (B) e) persolutis (B) f) fortionem (B) g) grossorum (B) h) korrigiert aus versis (B) i) rrelce (B)

**69.** *Kaiser Ludwig der Bayer erneuert die Pfandschaft des Markgrafen Friedrich (II.) von Meißen über Burg und Stadt Altenburg sowie die Städte Chemnitz und Zwickau.*

*1329 Juni 23, Pavia*

*Original: Kriegsverlust, ehemalige Signatur SächsHStA Dresden, 10001, Ältere Urkunden, Nr. 2483, Foto vom Text ohne Siegelabbildung vorhanden (Negativ Nr. 3835); Besieglung: ehemals das Siegel des Ausstellers (Posse, SDKK I, Taf. 51, Nr. 1). — Edition: Mencke, Scriptorum Rer. Germ. II, Sp. 988 f.; MGH Const. 6,1, S. 510, Nr. 607; Altenburger UB, S. 444 f., Nr. 567. — Regest: Urkunden des Vereins für Chemnitzer Geschichte, S. 41, Nr. 29.*

Ludowicus dei gratia Romanorum imperator quartus semper augustus universis nostri et sacri Romani imperii fidelibus presentes inspecturis gratiam suam et omne bonum.